

TRA TRAGEDIA E BEFFA. PER UNA LETTURA DELL'*AMPHITRUO* PLAUTINO
Gianna Petrone

1. La tragicommedia: gli avvisi del prologo

1 A) vv. 50-63,

*Nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar;
post argumentum huius eloquar tragoediae.
quid? Contraxistis frontem quia tragoediam
dixi futuram hanc? Deu's sum, commutavero.
Eandem hanc, **si voltis**, faciam iam ex tragoedia
Comoedia ut sit omnibus isdem vorsibus.
Utrum sit **an non voltis**? Sed ego stultior,
quasi nesciam vos velle, qui divos siem.
Teneo quid animi vestri super hac re siet:
faciam ut commixta sit tragico comoedia;
nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
reges quo veniant et di, non par arbitror.
Quid igitur? Quoniam hic servos quoque partis habet,
faciam sit, proinde ut dixi, tragicomoedia.*

1 B) vv. 86-95,

*Mirari nolim vos quapropter Iuppiter
nunc histriones curet; **ne miremini:**
ipse hanc acturust Iuppiter comoediam.
Quid? Admiratin estis? Quasi vero novom
Nunc proferatur Iovem facere histrioniam;
etiam, histriones anno quom in proscaenio hic
Iovem invocarunt, venit, auxilio is fuit.
Praeterea certo prodit in tragoedia.
Hanc fabulam, inquam, **hic Iuppiter hodie ipse aget**
Et ego una cum illo.*

1 C) vv. 116-119

*Nunc **ne** hunc ornatum vos meum **admiremini**,
quod ego huc processi sic cum servili schema:
veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam,
propterea ornatus in novom incessi modum.*

2. Mercurio si trasforma nel servo plautino

vv. 265-269

*ME. Quando imago est huius in me, certum est hominem eludere.
Et enim vero quoniam formam cepi huius in med et statum,
Decet et facta moresque huius habere me similis item.
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,
Atque hunc telo suo sibi, malitia, a foribus pellere.*

3. I pugni e la coscienza di sé

vv. 406-409

SO. *Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? Non mi est lanterna in manu?
Non loquor? Non vigilo? Nonne hic homo modo me pugnīs contudit?
Fecit hercle, **nam etiam mi misero nunc malae dolent.**
Quid igitur ego dubito, aut cur non intro eo in nostram domum?*

4. Il dio che inganna

4 A) vv. 470-471

ME. ***erroris ambo ego illos et dementiae
complebo atque Amphitruonis omnem familiam,***

4 B) vv. 491-495,

ME.....*quid igitur? Nemo id probro
profecto ducet Alcumenae; nam deum
non par videtur facere, delictum suum
suamque ut culpam expetere in mortalem ut sinat.*

5. La parasitatio di Mercurio

5 A) v. 506 s.,

ME. ***Nimis hic scitust sycophanta, qui quidem meu' sit pater.**
Opservatote, ut quam blande mulieri palpabitur.*

5 B) vv. 515- 521,

ME. *Accedam atque hanc appellabo et subparasitabor patri.
Numquam edepol quemquam mortalem credo uxorem suam
Sic ecflctim amare, proinde ut hic te ecflctim deperit.
IV. *Carnufex, non ego te novi? Abin e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?
Quoii ego iam hoc scipione-- AL. Ah noli! IV. Muttito modo.*
ME. ***Nequiter paene expedivit prima parasitatio.****

6. I pugni e il principio di realtà

6 A) vv. 604-607

AM. *Quas, malum, nugas? Satin tu sanus es? SO. Sic sum ut vides.
AM. Huic homini **nescioquid est mali mala obiectum manu,**
postquam a me abiit. SO. **Fateor, nam sum optusus pugnīs pessume.**
AM. **Quis te verberavit?** SO. **Egomet memet, qui nunc sum domi.***

6 B) vv. 621-625

AM. *Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.
SO. Non soleo ego somniculose eri imperia persequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc video, vigilans fabulor,
vigilante mille me iam dudum **vigilans** pugnīs contudit.
AM. Quis homo? SO. Sosia, inquam, ego ille. Quaeso, nonne intellegis?*

7. Il *deus ex machina*

7 A) vv. 861-868

IV. *Ego sum ille Amphitruo, quod est servos Sosia,
idem Mercurius qui fit quando commodumst,
in superiore qui habito cenaculo,
qui interdum fio Iuppiter quando lubet;
huc autem quom ex templo adventum adporto, ilico
Amphitruo fio et vestitum immuto meum.
Nunc huc honoris vestri venio gratia,
ne hanc incohatam transigam comoediam;*

7 B) vv. 873-876

IV. *Nunc Amphitruonem memet, ut occepi semel,
esse adsimulabo atque **in horum familiam**
hodie frustrationem iniciam maxumam;
post igitur faciam res fiat palam*

7 C) vv. 974 s.

IV. *Iam hisce ambo, et servos et era, **frustra sunt duo,**
qui me Amphitruonem rentur esse: **errant probe.***

8. Mercurio currens minaccia dall'alto

vv. 997-1001

*Nunc Amphitruonem volt deludi meum pater: faxo probe
iam hic deludetur, spectatores, vobis inspectantibus.
Capiam coronam mi in caput, adsimulabo me esse ebrium;
atque illuc susum escendero: inde optume aspellam virum
de supero, quam huc accesserit; faciam ut sit madidus sobrius.*

9. L'imperturbabilità di Anfitrione e il lieto fine

9 A) vv. 1124 s.

.....AM. *pol me hau paenitet,
si licet boni dimidium mihi dividere cum love.*

9 B) vv. 1141-1143

IV. *Tu cum Alcumena uxore **antiquam in gratiam**
redi: hau promeruit quam ob rem vitio vorteres
mea vi subactast facere. Ego in caelum migro.*